QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Iovis 28. Ianuarij.

M. LUDOVICO POIRIER, Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne ullum ſani hominis excrementum corpori inutile?

I.

QUICQUID humoris continetur humano corpore, id Alimentum eſt aut Excrementum. Alterum ab altero longe diſpar & ſubſtantiæ & præparationis modo. Alimentum quidem varia ventriculi, viſcerumque aliorum ope aptatum ſufficitur ſingulis partibus reficiendis. Excrementum verò, genus iſtud humoris ab alimento degeneris, tantum abeſt à nutriendi facultate, quantum alimentum ab excrementi ignobilitate, quæ ex coctione quâlibet ei contingit. Nunquam igitur chylum, ut ut eſſet ſuis adhuc ſordibus impurior, hoc nomine contaminabis: nunquam ſani hominis ſanguinem, quandiu venis capitur, ut ut copia cumulatior morbum intenderet, vel naturæ juſſu menſtruam meditaretur fugam. De medullâ autem oſſium dubitandi locum nec ſordidi authores dederunt, num hæc alimenti potius quam excrementi tribu excipi debeat? E quâ deinde pinguedo rejicitur, quaſi excrementum haud natum excerni: cujus natura ideo inhabili ad alendum indole æquiùs æſtimari poſſit, quàm ullâ è corpore exeundi neceſſitate. Quamobrem velut Ariſtocratica Reſpublica ſummum jus omne non adeo tribuit optimatibus, plebique decernit obſequium, quin hæc illis maxime proſit ad imperij incolumitatem. Neque etiam in corporis familiâ, alimentum ita tenet principem humoris locum, quin viliori etiam excremento, nedum lacti, ſemini, pinguedini ſua relinquatur utilitatis teſſera, in communem hominis ſalutem conferenda.

II.

SANUS homo ſuarum eſſe debet integer functionum. Sed pro cujuſque coctionis modulo, ſeu privata ſit ſeu publica, nihiloſecius aſſiduam & multiplicem patietur excrementi ab alimento ſecretionem: cujus rudimenta primum in ventriculô ponuntur, ac deinceps in inteſtinis ſtercus perficitur & pituita: quâ nihil frequentiùs, nihil obſcurius in ore Medicorum. Deinde quocunque in viſcere, ſive in Jecore, ſive in corde cudatur ſanguis, ex ejus elaboratione hinc bilis ſuperſtes videtur, inde creditur melancholicus ſuccus, tam incertæ ſedis, quam virtutis. Interea chylus altiores pervadit viarum labyrinthos, nec non alter humor ad alendum chylo longe paratior quoquoverſum decurrit, vehiculo ſeri, quod longe ab ichore diſcrepat. Hoc autem commune totius corporis excrementum, ſive ex aliquo ſale fuſum fuerit, ſive ex aqueâ potûs ciborumque portione liquidum, perinde ad urinas defluit & ſudores, lacrymas, mucum, ſalivam, ſputum, tot partium peculiares veluti ſordes, quæ non ſecus ac aurium recrementa privatam conſequuntur nutritionem: quemadmodum & aliæ diverſi generis quamplures, quæ interno, & externo perſpirationis beneficio ſenſim ſine ſenſu emittuntur, inſtar fuliginum ex quâcunque corporis regiunculâ occultè vel apertè erumpentium.

III.

NEQUE hæc è corpore exeundi ratio impedit, quominus excrementum ſani hominis corpore conceptum, & publicam & privatam coctionem promoveat, ſuo quodque Naturæ modo non vitioſum. Quid enim ſalivâ vilius, aut facilius excerni? Hæc tamen manſos in ore cibos diluit, dilutos in ventriculo incidit, & potûs interventu in cremorem liquat, elixum calido auxilio fæcum, quibus nihil ſpurcius aut inutilius videbitur: quanquam per ampliſſimos inteſtinorum tubulos circumlatæ, ſubtus hepatis & ventriculi officinam, ac circumcirca Meſenterij ſentinas, nonnihil valeant ad chylum conficiendum, & confectum ad ſuos viarum ductus agendum. Non ſecus ac Olitores, Agricolæ, vel Chymici pleraque opera ad maturitatem fimo perducunt, ita etiam natura. Quæ præterea fimi humani deſcenſum tacito bilis ſtimulo accelerat, pituitâ inteſtinis obductâ ne acrius lædantur, & ſtercoris biliſque vehementioris aculeos parumper obtundente. In quo multiplici offi-

cio totuplex excrementi genus eritne inutile, ſine quo vel plurimum bonitatis à ſanguine decederet? Quid ſi vitalem in corde flammam à moderatâ bile excitari diceremus, quemadmodum ab immoderatâ febrilem? Quid ſi pancreaticus ſuccus à nobis melancholici inſtar haberetur ad famem excitandam? Is ſaltem ſuâ partium agilitate chylum ſurſum deorſumque impellens, vacuitatem infert, à quâ certior eſſe queat quotidianæ famis ſenſus & origo, quam ab ullâ ventriculi conſtrictione per melancholicas reliquias.

IV.

VERUM excrementi utilitas non adeo ex novitatis arbitrio pendet. Jamdiu ſerum, toti corpori, & cuivis coctioni longe communius quàm cuivis morbo, ſuccum omnem mobiliorem reddit, facilioremque ad intimos partium receſſus ſubeundos nutritionis gratiâ, eò quidem infelicioris, quò aliturus humor ad modum Sambucinæ medullæ magis concreſceret ſuo non diſſolutus ſeroſo excremento. Hoc deinceps quocunque pervadit ex Naturæ lege, ibi certa relinquit veſtigia ſuæ ad bene vivendum opportunitatis tum externo corporis habitui præſtitæ, quem ultimis ſordibus, cujuſcunque ſint generis, facilius expedit, ſi ſatis diluantur; tum cerebro, ubi ſpiritus ad animi munera tenues deſiderantur è ſanguine bilioſi ſimillimo, quem ſerum ſuâ lymphâ temperat, ne deſultorij nimis evagentur. An inde humor qui per nervos ad lymphatica vaſa pertinere, & ex eis ad venas redire vulgatur? Sed ne quid turbarum latentem adhuc in herbâ anguem excitet, ſatis ſit mucum ex hoc fonte, faucium linguæ ac palati uliginem derivare, ad lubricam iſtarum partium mobilitatem. Quidquid deinde bilioſi recrementi fuerit de ſanguine animali delibatum; id niſi in pilos abeat, ad externam auris concham rejicitur: non ſine uſu humoris prius attenuati, quiſquis lentior; aut vaporis diſcuſſi, quiſquis turbidior, mentis ſplendorem obſcuraret. Quid igitur magis dubitas ſuam in corpore utilitatem cuivis excremento, alimenti utilitate minorem tribuere: quam in rerum univerſitate ſuam cuivis animalculo dignitatis ſpeciem, quamvis humanâ inferiorem?

V.

SI quid fruſtra de rerum uſu dicitur à Medico, nihil tamen conjice fruſtra factum à Naturæ autore, qui ſuâ ſapientiâ ni-

hil non dirigit ad finem ſibi propoſitum. Felix eſt qui hunc animo aſſequitur; neque adeo infelix qui eum ſtudioſe inquirens, rei alicujus uſum etiam ex neceſſitate materiæ profectum, cum ignorato fine confundit. Nam quorſum pili, non melius quam ungues inter excrementa numerati? An ut caput deffendant, ac veſtiant? Sed quorſum ſub hirco, & ad pubem? Expecta naturæ vocem: Neque forſan erunt aliquando his locis, quam palpebris, aut ſuperciliis inutiliores. Nempe in ſalubri hominis fabricâ, ne excrementum quidem debuit ab aliquâ corporis commoditate aberrare, ut inde ſanitas & vita conſervaretur, unde morbus conſequitur & mors. Alvus enim ſtatâ ſuâ naturæ periodo libera, quid non alacritatis animo & corpori importat? Ejuſdem pigrities, quid deinde non confuſionis & moleſtiæ? Vaga bilis nonne regio morbo retinet & tardigradum & decolor ſtercus? Quot denique homines è vivis erepti ob exhauſtum ſuo excremento folliculum? Quot præterea ob plurimum humorem ſimul & ſemel vacuatum, ſeu purulentus ſeu aquoſus effluxerit? Tantine eſſe poteſt ad vitam momenti lethale tabum; neque majoris intererunt partes humorum, ad alendum quidem ineptæ, ſed quæ ſuum munus aliâ utilitate implent?

Nullum eſt igitur ſani hominis excrementum corpori inutile.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ioannes Baptiſta Ferrand.
M. Carolus Marteau.
M. Antonius le Moine, Decanus.
M. Guido Creſcentius Fagon, Reginæ familiæ Medicus ordin.
M. Iacobus de Bourges.
M. Petrus Legier.
M. Germanus Preaux.
M. Franciſcus Blondel.
M. Iacobus Renaut.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS HUGOT Cabilonenſis. A. R. S. H. MDCLXXVII.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.